



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

6 De comparatione vnus formæ ad aliam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

ARTICVLVS VI.

Vtrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini.

4. d. 8. q. 2. ar. 4. q. 2. Et d. 21. q. 2. ar. 1. 9. i. ad 4. Et 1. co. 1. l. 6. co. 1.

Alias exan- gae.

Q. 73. ar. 5.

Art. 2. huius quaest. ad 3.

Art. 2. & 5. huius q.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod forma consecrationis panis non consequatur suum effectum, quousque perficiatur forma consecrationis vini. Sicut enim per consecrationem panis incipit esse corpus Christi sub hoc sacramento, ita per consecrationem vini incipit esse sanguis. Si ergo verba consecrationis panis haberent suum effectum ante consecrationem vini, sequeretur, quod in hoc sacramento inciperet esse corpus Christi sine sanguine, quod est inconueniens.

2. Praeterea: Vnum Sacramentum, vnum habet complementum: unde licet in Baptismo sint tres immersiones, non tamen prima immersio consequatur suum effectum, quousque tertia fuerit terminata. Sed totum hoc Sacramentum est vnum, vt supra dictum est. Ergo verba, quibus consecratur panis, non consequuntur suum effectum sine verbis sacramentalibus, quibus consecratur vinum.

3. Praeterea, in ipsa forma consecrationis panis, sunt plura verba, quorum prima non consequuntur effectum, nisi prolato vltimo sicut dictum est. Ergo pari ratione, nec verba, quibus consecratur corpus Christi habent effectum, nisi prolatis verbis, quibus sanguis Christi consecratur.

Sed contra est, quod statim dictis verbis consecrationis panis, hostia consecrata proponitur populo adoranda. Quod non fieret, si non esset ibi corpus Christi: quia sic ad idolatriam pertineret. Ergo verba consecrationis panis suum effectum consequuntur, antequam proferantur verba consecrationis vini.

RESPONDEO dicendum, quod quidam Doctores dixerunt, quod haec duo forma, scilicet consecrationis panis & vini se inuicem expectant in agendo, ita, scilicet quod prima non perficit suum effectum, antequam proferatur secunda. Sed hoc stare non potest, quia (sicut dictum est) ad veritatem huius locutionis, hoc est corpus meum, requiritur praeter verbum praesentis temporis, quod res significat a simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis: alioquin si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum praesentis, ita, scilicet quod non diceretur, hoc est corpus meum, sed hoc erit corpus meum. Significatio autem huius locutionis completur statim, completa locutione horum verborum. Et ideo oportet rem significatam statim adesse. Quae quidem est effectus huius sacramenti: alioquin locutio non esset vera. Et etiam haec positio contra ritum Ecclesiae, quae statim post prolationem verborum, corpus Christi adoratur. Vnde dicendum est, quod prima forma non expectat secundam in agendo, sed statim habet suum effectum.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac ratione videtur fuisse decepti, qui praedictam positionem posuerunt. Vnde intelligendum est, quod facta consecratione panis est quidem corpus Christi ibi ex vi sacramenti, & sanguis ex reali concomitantia: sed postmodum per consecrationem vini fit ibi de conuerso, sanguis Christi ex vi sacramenti: corpus autem ex reali concomitantia. Ita, quod totus Christus est sub vtraque specie, sicut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod hoc Sacramentum est vnum perfectione (sicut supra dictum est) in quantum, scilicet constituitur ex duobus, scilicet cibo & potu: quorum vtrumque, per se habet suam perfectionem. Sed tres immersiones Baptismi ordinantur ad vnum simplicem effectum. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod diuersa verba, quae sunt in forma consecrationis panis, constitunt veritatem vnius locutionis, non autem verba diuersarum formarum. Et ideo non est simile.

Leira D. Thom. est perspicua, res vero ipsa satis disputata est supra disputat. 45. cum de materia remota huius Sacramenti ageremus.

DISPUTATIO LXI.

De causa efficiente Sacramenti Eucharistiae, & efficacia formae, ac ministri.



Explicauimus haec tenus institutionem, & essentiam huius Sacramenti, superius est, vt de causis & effectibus eius dicamus. Ex causis autem sola efficiens proxima explicanda superest: materialis enim & formalis simul cum essentia Sacramenti explicatae sunt: finalis vero partim declarata est in superioribus, vbi rationes huius institutionis & praesentiae Christi reddidimus: partim explicabitur simul cum effectu, cum quo fere coincidit. De causa autem efficiente principali, quae est Deus, & de organo illi coniuncto, quod est Christi humanitas, nihil superest dicendum praeter ea, quae supra dicta sunt de sacramentis in genere: & de dependentia corporis Christi, prout est in hoc sacramento, a se ipso, prout est in propria specie. Solum ergo superest dicamus de verbis sacramentalibus, quae sunt veluti proxima causa efficiens huius Sacramenti: quod optime in hunc locum cadit, vt post explicatam huius formae substantiam eiusdem efficaciam declaremus. Est enim singulare in hoc sacramento, vt eadem verba, quae sunt forma eius, sint principium consecrationis materiae, quae hoc Sacramentum perficitur: & ita etiam simul explicabimus & causam sacramenti, & effectum formae eiusdem Sacramenti, qui omnino distinctus est ab effectu, qui postea fit a Sacramento, quando ad usum applicatur: cum autem in verbis nihil supernaturale habeat, non est necesse specialem eorum causam explicare: non habent enim aliam praeter eam, quam habere solent verba humana. Quia vero haec verba, non a quolibet homine prolata, sed iuxta Christi institutionem sunt verba sacramentalia, & efficacia ad efficiendum sacramentum: ideo ad explicandum exacte hanc efficientiam, necesse est nonnulla attingere de ministro, a quo necesse est, haec verba proferri, vt efficacia sint. Nam licet D. Thom. infra quaestione 82. de ministro disputet, tamen hoc loco pauca ex illis attingemus, quae ad substantiam declarandam videbuntur necessaria: reliqua vero, quae pertinent ad ministrum sacrificii, vt sic, vel ad partem moralem & praepcepta, quae in ministrum cadunt, inferius suo ordine tractabuntur.

SECTIO I.

Vtrum verba consecrationis sint causa physica praesentiae corporis Christi in hoc Sacramento.

Diximus in superioribus, duas actiones concurrere ad efficiendum hoc Sacramentum, alteram circa corpus CHRISTI, vt hic esse incipiat: alteram circa accidentia, seu circa panem, vt hinc expellatur. Vt ergo distincte explicemus efficaciam horum verborum, de vtraque actione figuratim dicemus. Et suppono, nullum Catholicum dubitare, quin verba aliquo modo efficiant totum hunc effectum: quia, illis prolatis, infallibiliter fit effectus, vnde quae applicant virtutem diuinam ad illam efficiendum. Quaestio ergo est de propria efficientia physica, & quidem Theologi, qui negant ceteris sacramentis efficientiam gratiae, maiori ratione negabunt his verbis hanc efficaciam: quia, vel est maior, vel certe aequalis ratio, vt videbimus. In hac praeterea sententia videtur esse Diuus Thomas in 7. distinctio. 1. quaestio. 1. articulo 4. quaestio. 1. ad 6. vbi distinguit duo in transubstantione, & terminum

num a quo, & ad quē: ut dicit, quantum verba attingant recessum a termino a quo, non tamen accessum ad terminum ad quem, & distinctione octava, quaestione secunda, articulo 3. ad 5. dicit, totam actionem verborum versari circa substantiam panis, non tamē attingere terminum ad quem. Quam sententiam sequitur Capreolus eadem distinctione 1. quaest. 1. Ad 1. Aureol. contra 3. conclus. & distinctione 3. articulo 3. ad 3. Scoti contra 3. conclus. Bonavent. etiam distinctione 10. articulo 1. quaestione 3. negat, verba efficere Corpus Christi hic. Idem Gabr. lect. 47. in Canon. A. bul. in cap. Matth. 17. quaest. 119. Catherin. opus. 1. de verb. consecrat. in fine, & alii recentiores; & possunt pro hac sententia adduci nonnulla Sanctorum testimonia. Damasc. libr. 4. cap. 14. soli Spiritui sancto tribuit actionem hanc, qua Christi Corpus conficitur & comparat cum conceptione Verbi Dei ex Virgine: nam sicut ibi ad praesentiam verborum, quibus B. Virgo consensum suum expressit Spiritus sanctus corpus Christi condidit: Ita hic prolatis a Sacerdote verbis, Spiritus sanctus corpus Christi consecrat. Chryl. homil. 2. de prodit. Iudae: Sacerdotis ore verba profertur, sed Dei virtute consecrantur & gratia. & homil. 83. in Matth. Non sunt humanae virtutis opera: qui tunc in illa cena consecit, ipse quoque nunc operatur, ipse perficit, ministrorum ordinem tenemus, qui vero haec sanctificat, & transmutat, ipse est. Et infra. Non enim illam Christum, hanc homo quisque facit, sed veramque ipse Christus, Amb. l. 4. de sac. ea. 4. prius dicit: Hoc sacramentum confici sermone Dñi Iesu. Statim vero inquirens, quis sit hic sermo, respondet, esse illum, quo creata sunt omnia. Senit ergo, solum diuino imperio, & voluntate confici hoc sacramentum. Ratione potest confirmari: primo, quia hoc sufficit ad veritatem verborum & huius sacramenti; & non est necesse, multiplicare miracula, & difficultates sine necessitate. Secundo, quia ut supra dictum est actio, qua hic fit corpus Christi, est sine subiecto, & similis creationi, non ergo potest per verba fieri magis, quā creatio. Tertio: quia, si verba concurrerent effectiue, etiam humanitas Christi haberet similem, efficientiam: quia verba sunt veluti instrumentum ipsius humanitatis: ergo humanitas efficeret se ipsam; quod videtur aperte repugnare.

Dico primo, verba virtute sua perficere conuersionem & consecrationem. Haec est sententia Theologorum, quos statim referam. Et fuit Concilium Florent. & Trident. sess. 13. capit. 3. quae hoc modo loquuntur. Neque aliter loquuntur antiqui Patres: Damascenus enim supra, ita tribuit hanc actionem Spiritui sancto, ut simul dicat, verba Christi esse efficaciam: & similiter Chrysolomus dicit, his verbis confici hoc sacramentum: & ibidem comparat & aequat efficientiam horum verborum cum efficientia aquae baptismi: ibidem etiam expresse dicit, Christum in nocte cenae effecisse hoc mysterium: & nunc etiam efficere per verba ministrorum, qui in persona Christi loquuntur. Manifestior est sententia Ambrosii, qui saepe repetit, sermonem Christi esse efficacem: & quamuis comparat hoc verbum cum verbo Dei, quo creauit mundum: non tamen excludit efficaciam verbi sensibilis, sed potius illo exemplo declarat: omne Christi verbum esse efficacem, & habere vim operandi, Augustinus 2. contra Faust. ca. 3. Panis inquit: certa consecratione mysticus fit nobis. Praeterea supra disputatio, 58. cum ageremus de verbis formae, multas similes Sancti locutiones retulimus: & alias disputatio secunda tractantes de actione, qua hic constituitur corpus Christi. Quae omnes fundamentum habent in verbis Christi: Hoc facite in meam commemorationem. Nam illud verbum tantumdem valet, ac si diceret: Consecrate, offerite, sumite, distribuite, vt Sancti omnes exponunt, vt eleganter tractat Paschal. l. de hoc sacra. cap. 15. ergo ministri huius sacramenti vere faciunt consecrationem: non autem

faciunt, nisi per verba; ergo verba efficiunt consecrationem, & conuersionem panis in corpus Christi Tandem simpliciter est de fide, sacramenta nouae Legis esse causas gratiae, & efficere, quod significant: ergo proportionali modo idem absolute dicendum est de forma huius sacramenti, efficere, nimirum, quod significat; & consequenter efficere consecrationem, & conuersionem panis in corpus, & vini in sanguinem.

Dico secundo, probabilius esse, haec verba proprie per se ac physice concurrere ad hunc consecrationis effectum. Ita sentit Diuus Thomas hic, & Alexander quarta parte, quaestione vigesima quarta, membro 1. articulo secundo, Albertus distinctione octaua, articulo sexto. Caietanus, Soto, & reliqui, qui sacramenta constituunt causas physicas. Et confirmari potest haec conclusio ex omnibus dictis in genere de efficacia sacramentorum: quia, si in aliis sacramentis verba sunt operatiua, cur non in hoc, quod est omnium maximum ac nobilissimum? Neque enim eo est maior repugnantia: quia, vt ibidem diximus, non repugnat dari instrumentum creationis, vt et conuincit sacramentorum efficientia. Neque operis excellentia aut difficultas sufficit, vt hoc negetur: quin, si in re non est repugnantia, potius propter hanc causam ita asserendum est: praesertim cum in hoc sensu magis proprie ac perfectius verba Scripturae & Sanctorum intelligantur. Praeterea in priori tomo late ostendimus: humanitatem Christi, quando miracula operabatur, factio aut verbo suo proprie ac physice ipsa effecisse: ergo eadē, vel maiori ratione, quando in nocte cenae consecit hoc sacramentum, proprie ac physice illud est operatus. Dicunt autem Sancti, eandem efficaciam habere hoc verbum, quoties in persona eius & ex praeepto illius profertur: ergo.

Probabilius est physice verba concurrere ad praedictum effectum.

Dico tertio, haec verba physice efficere corpus Christi, seu praesentiam eius in hoc sacramento. Haec conclusio est conformis citatis authoribus: & videtur sequi ex duabus praecedentibus. Primo, quia verba efficiunt totum, quod significant, significant autem realem praesentiam corporis Christi. Secundo, quia alias non efficiunt transsubstantiationem: neque conuersionem: quia quod non attingit terminum ad quem alicuius actionis, non potest efficere talem actionem. Quomodo enim verba conuerterent panem in corpus Christi, si efficacitate sua non possunt illud attingere? Respondent Capreolus & alii, sicut Cap. sacramenta dicuntur efficere gratiam, non quia illa attingant, sed quia efficiunt characterem, vel ornatu quendam, qui est dispositio ad gratiam, ita dici, haec verba efficere conuersionem, & transsubstantiationem, quia efficiunt quandam & dispositionem ad illam, expellendo substantiam panis; licet non attingant ipsum corpus Christi. Sed primo, exempli, quod adducitur de ornatu, falsum est & improbabile: & licet verum esset, sicut verum est, in quibusdam Sacramentis dari characterem, tamen sola efficientia illius non satis esset, vt sacramenta dicerentur efficere gratiam, si illam non attingerent: quae omnia supra probata sunt, cum ageremus de sacramentis in genere. Praeterea, si verba non attingunt corpus Christi, quod directe ac proprie significant, gratis dicitur, attingere accidentia panis, vel excludere substantiam, cum hoc est supernaturale sit, & eandem difficultatem habeat, vt infra videbimus. Tandem, nulla in hoc spei talis repugnantia, aut difficultas. Nam quae adduci potest de creatione, seu de actione sine subiecto, a me facile expeditur: quia existimo, non repugnare dari instrumentum creationis: neque aliter puto posse hanc sententiam sustineri, suppositis his, quae supra de transsubstantiatione diximus. Nam, si quis diceret transsubstantiationem fieri per solam actionem adductiuam, posset aliquam rationem differentiae assignare: quamquam aliunde posset videri difficultas,

Verba physice efficiunt corpus Christi.

Impugnatio

ex par-

Verba haec efficiunt corpus Christi.

Cap.

Cap.

ex parte actionis praeiue instrumenti, quia, vel necessaria est, ut instrumentum possit eleuari, vel non. Si non, poterit ergo creatura esse instrumentum creationis, quia solum ponitur repugnantia in defectu actionis praeiue: si vero illa est necessaria, nihil hic poterunt efficere verba: quia non habent actionem praeuiam. Respondent aliqui, habere verba significationem propriam: & hanc satis esse per modum actionis praeiue. Sed hoc nihil refert, quia significatio tantum est quid rationis, vel quaedam extrinseca denominatio: & idem dici posset de instrumento creationis. Alij vero dicunt, verba habere actionem praeuiam, quia possunt species intentionales multiplicare in auditu. Sed refellitur eodem modo: tum, quia haec actio est impertinens: non n. versatur circa panem, neque circa corpus Christi: tum etiam, quia idem potest dici de instrumento creationis. Et idem est de aliorum responsione, qui dicunt ipsam prolationem verborum esse actionem praeuiam ministri: nam quidquid sit de hoc modo loquendi, idem dici potest de creatione. Censeo igitur, in instrumentis diuinis non esse necessariam actionem praeuiam, atque adeo posse vsque ad creationem extendi.

Alia vero specialis difficultas de modo, quo Christus alibi existens concurrat ad effectum seu consecrationem sui corporis, in alio loco supra dif. 12. tractata est, & expedita, supposita n. existentia rei per actionem totalem, & independentem ab ipsa, non implicat contradictionem, posse per aliam actionem conseruare se ipsam, ut ibi latius explicauimus. Quibus vnum solum addendum occurrit, fere idem necessario dicendum esse in opinione eorum, qui dicunt, verba tantum esse causam moralem, seu conditionem sine qua non, quia negari non potest, quin haec causalitas verborum, qualiscumque illa sit, supponat existentiam Christi in propria specie: quia ab illius meritis & institutione manat, ergo Christus vt realiter praexistens & operans, est causa suae existentiae in hoc sacramento: ergo eadem ratione potest esse causa physica, quia in hoc genere causalitatis non est alia repugnantia nisi praexistentia. Dices, ad consecrationem, prout nunc fit, non praesupponi Christum, vt praexistente in hoc instanti ex vi talis causalitatis, & per se: sed supponi tantum extitisse aliquando. Sed contra vrgo difficultatem in ipsa nocte coenae, quando ipsemet Christus protulit verba consecrationis, tunc n. pro eodem tempore necessaria erat existentia humanitatis Christi, quae consecrationem ordine naturae antecederet: quia verba physice pendebant ab illa, & ita consecratio, licet dicatur moraliter tantum fieri a verbis, praesupponit tamen physicam causalitatem humanitatis in verba ipsa: & hoc satis est, vt humanitas praesupponatur ante verba ipsa, & ante consecrationem, et pro illo instante, in quo fit, quia pro illo verbum consecratorium physice ab humanitate Christi pendebat: ergo in omni sententia, actio, qua fit hic corpus Christi, supponit existentiam eiusdem corporis, per aliam actionem totalem, & consequenter non repugnat actionem consecratiuam ab eodem corpore, vt praexistente oriri.

Sed inquiri potest, per quid agant verba. D. Thomas hic significat, agere per qualitatem ipsis inditam vt fit illis virtus agendi, idem distinctione 8. quaestio. 2. articulo. 3. Alenf. quaest. 34. membr. 1. & 2. Sed in materia de incarnatione, & de sacramentis in genere satis multa diximus contra hanc qualitatem, quae omnia hic applicari possunt. D. Thomas autem exponi potest, sicut a Caietano exponitur, quod in ipsis verbis est virtus, non quae fit qualitas distincta, sed quae fit potentia obediencialis ipsorum verborum eleuata, & sufficiente concursu ad agendum applicata, vt dictis locis late declarauimus.

Dubium.
S. Thom.
Alenf.
Solutur.

Vtrum verba physice efficiendo, expellant substantiam panis.

Ratio dubitandi esse potest, quia verba non possunt effectiue expellere substantiam directe ac per se operando in ipsam substantiam panis: quia, cum illa substantia definat esse, non potest esse terminus per se alicuius actionis, neque etiam possunt effectiue expellere consequenter, & introducendo corpus Christi; quia illi termini non sunt formaliter repugnantes, vt supra diximus: causa autem effectiue introducens rem aliquam, non expellit effectiue aliam, nisi quatenus illa duae res sunt formaliter inter se repugnantes: neque etiam possunt illam expellere per actionem, quae versetur circa accidentia panis: quia illa, vel est actio in subiecto: & sic supponit substantiam; vnde non potest esse destructiua illius: vel est actio extra subiectum, & ita erit per modum creationis: quae repugnat instrumento creato. Et praeterea non apparet, quomodo talis actio ita repugnet substantiae, vt destruat illam.

In hac re Scotus, & alij qui dicunt, substantiam panis annihilari, consequenter negare tenentur, verba posse expellere substantiam panis per propriam ac physicam efficientiam: quia non existimant, panem definire ex vi alicuius actionis, aut rei incompossibilis ipsi, sed ex solo pacto Dei. Aliorum vero opinio est, verba quidem expellere effectiue substantiam, non per actionem, quae versetur circa accidentia panis, sed per operationem, quae est supra substantiam panis. Ita sentit D. Thom. in 4. d. 8. q. 2. art. 2. ad 3. vbi dicit, verba consecrationis non esse causam eorum, quae sunt in termino ad quem, neque quod accidentia sint sine subiecto; habere tamen operationem supra substantiam panis, quae inde expellitur. Idem Capreolus ibi.

Dicendum vero est primo, verba effectiue expellere substantiam panis. Haec conclusio est D. Thom. Capreol. & aliorum, quos retuli sect. praecedente, praesertim Alberti. in 4. dist. 8. Et probanda est ex principis positus in sect. praecedente. Primo, quia verba efficiunt conuersionem, vt Sancti docent, sed conuersione includit vtiusque termini mutationem, & transitum ab vno in alium: ergo. Secundo, quia verba efficiunt, quod significant, & cum sint praetere, efficiunt quiddam necessarium est ad suam veritatem, sed significant, hoc esse corpus Christi, & ad suam veritatem requirunt, vt nulla alia substantia sub his accidentibus contineatur: ergo hoc totum efficiunt. Tertio, quia haec efficientia non repugnat, vt iam declarabimus.

Dico secundo: Non possunt verba expellere substantiam effectiue, nisi per aliquam actionem totalem ex qua necessario & ex natura rei sequatur destructio substantiae panis. Probat, quia dupliciter potest causa efficiens rem aliquam destruere: primo, in priuatiue, seu negatiue, suspendendo influxum, quo illa res conseruabatur in esse. Et hic modus, quantum ad causam efficientem pertinet, tamen non tam est per efficientiam, quam per negationem efficientiae: & in praesenti locum non habet: quia, cum substantia panis non pendeat effectiue a verbis, non potest definire esse per suspensionem influxus verborum, quia nullus erat. Alio ergo modo potest causa efficiens destruere aliquam rem, per actionem, licet, positiuam. Nec inter hos duos modos potest inueniri medium, cum contradictorie distinguatur: ergo, excluso priori modo a verbis consecrationis, si effectiue expellunt, necesse est, vt id faciant posteriori modo, id est, per actionem positiuam, quae ex natura rei consequatur destructio substantiae: quia, si non sequitur ex natura rei, reuera, non sequitur ex vi talis causae proprie ac physice efficientis, sed solum ex

SECTIO III.

A quo proferri debeant verba consecratorum, ut efficacia sint.

sum ex pacto & lege Dei suspendentis influxum ad presentiam eius.

Dico tertio; Hæc actio verborum, per quam expellitur substantia panis; non est alia, nisi illa, per quam talia accidentia, per se constituuntur, illa vero est sufficiens. Ita videtur sentire D. Th. hic & mutasse sententiam, quam in 4. docuerat, & ita significant Soto, Ledesma, & alij. Et probatur prior pars, quia in primis non potest esse actio, quæ ad substantiam, vel presentiam corporis Christi terminatur, ut argumentum in principio factum probat, suppositis ijs, quæ de transsubstantiatione diximus. Neque etiam potest esse actio, quæ in ipsa substantia panis versetur, quia hæc actio non est, nisi in ipso instanti consecrationis, quod instans est primum non esse substantia panis, & primum esse huius actionis: ergo non potest hæc actio in illa substantia recipi, aut circa illam versari. At enim esset circa illam, ut subiectum & hoc non, cum iam non sit illa substantia, quando incipit esse hæc actio: Vel ut circa terminum proprium; & hoc etiam dici non potest, quia ille terminus non est res positiua, sed desinitio & carentia substantia; hæc autem non potest esse terminus actionis positiua, cum quo positiua actio idem est realiter, & ad quam per se primo tendit: unde repugnat, talem actionem directe versari circa terminum, quem destruit. Relinquitur ergo à sufficiente partium enumeratione, hanc actionem debere circa accidentia panis versari: quia ibi non potest alius positiuus terminus excogitari: sed per eam actionem non fit sola entitas eorum: quia non est cum illa impossibilis substantia panis: fit igitur in eis modus ille, per quem talia accidentia per se constituuntur. Respondet Capreolus, actionem hanc esse illam, per quam accidentia separantur à subiecto, non vero eam, per quam per se constituuntur. Sed hæc duo inter se repugnant, quia separatio duarum rerum dupliciter fieri potest, primo destruendo omnino alteram ipsarum, sicut destruitur substantia, & hoc non potest per se primo fieri per actionem positiuam, sed necesse est, ut per eam fiat aliquis terminus, ex quo talis destructio sequatur, quem hic inquirimus. Alio modo fieri potest, dissoluendo modum vnionis, sicut hic fit ex parte accidentium, & de hoc redit eadem ratio: quia, cum hæc dissolutio vnionis, sit quædam priuatio, & quasi corruptio modi vnionis, non potest esse primo & per se terminus actionis positiua: neque potest effectiue fieri, nisi quatenus sequitur ex tali termino, si vero verba effectiue separant accidentia à substantia panis, priuant illa actuali inhaerentia, quæ est modus vnionis ad substantiam: ergo faciunt in illis aliquid repugnans actuali inhaerentia, quod nihil est, nisi esse per se: ergo non recte dicitur, verba effectiue separare accidentia, & non efficere, ut per se sint.

Sed statim hic sese insinuat difficultas, quia hoc esse per se accidentium, est etiam priuatio quædam, unde redire potest eadem ratio facta. Sed de hac difficultate supra disputat. 56. diximus, hunc modum per se esse positiuum, quod argumento facto potest confirmari retorquendo illud: nam, si ille non est positiuus modus, vix intelligi potest, quomodo verba separant accidentia à substantia. Scio, dici posse, verba incipere conseruare accidentia per actionem independentem à subiecto, & creationi similem, & hunc modum dependentia ex natura rei repugnare cum actuali inhaerentia, ut iam in superioribus insinuauimus, vbi hoc diximus esse probabile: quamuis necita satisfaciatur, neque etiam si admittatur, necesse est alterum modum excludi: nam vtrumque possunt verba circa hæc accidentia efficere.

tertium in primis est, horum verborum efficientiam esse infallibilem, si rite proferantur: quia effectus sacramentorum diuina promissione, & virtute nituntur; & ideo de se infallibiles sunt: efficacia autem horum verborum sacramentalis est, & in diuino illo verbo fundatur (Hoc facite.) Solum ergo inquiri potest, quid necessarium sit, ut hæc verba recte proferantur, & consequenter, quæ conditiones sint necessariae, ut infallibiliter habeant effectum. Possunt autem hæc conditiones assignari, aut ex parte ipsorum verborum, aut ex parte materiae, cui applicantur, aut ex parte proferentis seu ministri. Ex priori capit. nulla conditio necessaria est, præter eas, quas agentes de forma, tractauimus: solum enim necesse est, & essentialia verba integre, & sine substantiali mutatione, vel corruptione proferantur: hoc enim huic sacramento cum reliquis commune est. Ex secundo similiter capite nihil addendum occurrit ijs, quæ de materia remota huius sacramenti diximus. Si enim illa sit substantia panis, aut vini debite applicata, seu præsens, ac certa & definita, nihil aliud ex parte illius necessarium est, ut effectus verborum sit infallibilis. In quo notanda est differentia inter hanc & alias formas sacramentales, alia enim operatur suum effectum simul cum materia Sacramenti in subiecto, & ex subiecto scilicet homine suscipiente sacramentum. Unde fit, ut effectus possit impedi ex obice, seu in dispositione hominis suscipientis, & ideo in aliis formis sacramentorum conditio est necessaria ex parte subiecti, ut habeant effectum, ut scilicet suscipiens non ponat obicem, at vero forma huius sacramenti non operatur in homine rescipiente sacramentum, sed in ipsa materia, seu circa ipsam, & ex ipsa tanquam ex termino à quo, quæ materia non potest ponere obicem, & ideo, ut effectus sit infallibilis, nulla specialis conditio ex parte materiae necessaria est. Cauendus tamen hic est error quorundam hæreticorum, qui ut refert Guitmund. lib. 1. & 3. de hoc sacram. dixerunt, quando materia, quæ ad consecrandum assumitur danda est indignis, verba non habere suum effectum circa illam. Hæc enim sententia hæretica est, & ex hæretico fundamento procedit, scilicet indignos, & peccatores, non vere manducare corpus Christi, quod infra resellemus. Et, ex illo prætere errore sequitur alius, scilicet, iniquos sacerdotes non consecrare, quia consecrati, ut ipsi fumant. Prætere, quia alias nunquam esset certa, etiam humano modo, consecratio huius sacramenti, penderet enim ex futuro euentu, cui scilicet, danda esset hostia, digno, vel indigno, quod solus Deus præscientia sua posset discernere: non ergo posset à nobis adorari hostia consecrata, neque iudicari, sub qua esset Christus. Denique in aliis sacramentis vera substantia sacramenti consistit, etiam si indignis tribuantur, ergo multo magis hæc verba operantur circa materiam huius sacramenti, etiam si postea indignis applicandum sit: quia hæc applicatio extrinseca est huic sacramento, & quid posterius: ergo ex hac parte nulla conditio necessaria est, ut effectus formæ sit infallibilis.

Superest ergo, ut dicamus de tertio capite; simulque explicemus, quæ sint necessaria in ministro huius sacramenti: hæc enim duo disputatione coniuncta sunt, ut supra insinuauimus.

Dico primo, ut hæc verba sint efficacia necesse est, ut à sacerdote consecrato, & rite ordinato proferantur. Hoc est de fide, ut constat ex communi consensu & traditione Ecclesie, & Conciliorum definitione. Niceno. 1. c. 14. Lateran. in c. Firmiter. Florent. in Decret. Eugen. Tridentin. sessio. 22. & 24. Et

idem docent omnes Patres citati tam in hac disputatione. sectio. 1. quam disputat. 20. sectio. 4. & 5. Vbiunque enim agunt de efficacia verborum Christi, simul cum verbis sacerdotalem dignitatem & potestatem coniungunt, & exaggerant, ut latius, quam ceteri, profequitur Chrysostr. lib. de Sacerdotio, praesertim 3. Vnde Hieronym. ex hoc maxime dignitatem Sacerdotum commendat, quod ore suo Christi corpus conficiunt. Hinc etiam Clem. l. 2. Cōst. ca. 28. alias. 31. dicit laicū, qui sine Sacerdote tēta sacrificare, vel offerre, nihil facere. Et Cyprian. Epist. 77. solis Sacerdotib. tribuit sacrificare & offerre, & Ildor. in cap. perlectis. distinct. 25. Hae autem fidei traditio fundata est in verbis Lu. 22. (Hoc facite) quibus inter alia hoc praecipue apostolis Christus praecipit, ut consecrarent, & offerret: hoc enim ipse praecipue egerat, praecipiendo autem potestatem ad consecrandum dedit, quia, nisi potestatem daret, rem impossibilem praeciperet. Vnde sit, non omnibus id praecipuisse, sed quibus potestatem dedit: neque omnibus potestatem dedisse, sed quibus ipse dixit: (Hoc facite) quod non dixit, nisi Apostolis, & in eorum personis, illorum successoribus in sacerdotali dignitate, qui non sunt, nisi qui ab illis rite ordinati sunt, & potestatem acceperunt. Vnde Iustin. Martyr apologia. 2. Apostoli (inquit) in suis scriptis, q̄ vocantur Euangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderunt, sumptu q̄ pane, ac t̄p̄ gratis dixisse, Hoc facite. Et eodē modo exponit factum & verba Christi Clemens lib. 8. Constit. c. vlt. & ita semper intellexit vniuersa Ecclesia ab Apostolis edocta. Et haec est ratio à priori huius veritatis, vt notauit D. Th. q. 82. art. 1. Nam haec potestas non est naturalis homini, sed supernaturalis, vt per se constat, oportet ergo, vt sit à Christo concessa: nulli autem data est omnibus hominibus, aut omnibus fidelibus & baptizatis, sed solis Ecclesiae pastoribus. Congruentia vero est, tum, quia ad tantum & tale ministerium, oportebat ministros esse singulari modo consecratos, & sanctificatos; tum etiam, quia, vt Paulus inquit ad Hebr. 9. munus sacerdotale non est omnibus hominibus commune, sed eis, qui specialiter à Deo assumuntur, & pro hominibus constituuntur in his, quae sunt ad Deum.

Chrysostr. Hieronym.

Clemens. Cyprian. Ildor.

Iustin.

Clem.

Hebr. 9.

Ruard. Roffen. Bellarm. VValdens.

Contra hanc autem veritatem multa obiciunt haeretici, contendentes omnes Christianos esse sacerdotes, & habere potestatem ad conficiendum hoc sacramentum, quamuis ea vti non debeant nisi à Republica, vel communitate ad hoc ministerium designati sint. Sed contra hanc haeresim dicemus inferius agentes de sacramento Ordinis: interim videantur, qui contra haeticos Lutheranos his temporibus scripserunt. Ruard. articul. 17. Roffen. articul. 13. Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 16. Item VValdens. lib. 2. de sacram. cap. 7. & 28. Legi etiam potest Epiphani. haeresi. 78. & 79. vbi refert, & improbat haeresim dicentium, mulieres posse conficere, seu offerre.

Sed quaeres, an saltem in casu necessitatis, vel ex aliqua dispensatione, possit ab alio, quam à Sacerdote, hoc sacramentum confici. Respondetur non posse, quod etiam de fide certum est, quia Concilia non tantum definiunt, Sacerdotem esse ministrum ordinarium consecrationis, sed etiam necessarium. Et idem docet Ecclesiae vsus, ac traditio: nunquam enim in Ecclesia aliter visum est fieri propter vllam necessitatem aut dispensationem. Legimus quidem in articulo necessitatis interdum esse Eucharistiam ministratam à laico, vel diacono, quae tamen prius esset à Sacerdote consecrata, quia, cum sacramentum semel factum permaneat in vsu & applicatione, non potest essentialiter pendere à conditione, vel qualitate applicantis, sed solum illa erit necessaria, vt recte ac debite fiat, vt explicabimus latius infra tractantes de praecipis huius sacramenti ad mi-

nistros pertinentibus. Non legimus autem propter vllam necessitatem consecratam esse Eucharistiam ab alio, quam ab eo, qui sit sacerdos. Sed potius legimus, vrgentibus necessitatibus, magna diligentia curatum esse à pastoribus Ecclesiae, vt Christiana plebs non careret Sacerdotibus, ne simul etiam hoc sacramento priuaretur, vt ex antiquis historiis refert Robertus Bellarminus supra. Ratio vero est eadem, quia potestas ad hoc sacramentum conueniens est supernaturalis, & datur in consecratione Sacerdotis, sine potestate autem non potest actio exerceri. Congruentia autem est, quia, cum hoc sacramentum non sit necessitatis simpliciter, non oportuit, vt propter alicuius necessitatem, eius consecratio aliis, quam sacerdotibus, committi posset. Et confirmatur, nam, licet Poenitentia sit magis necessarium sacramentum, nihilominus non potest in necessitate ab alio, quam à Sacerdote confici: ergo. Sed contra: sicut est dictum Apostolis (Hoc facite) ita est eis dictum, Ite, baptizate, sed in casu necessitatis possunt alij, quā Sacerdotes baptizare: ergo. Respondetur, negando consequentiam. Ratio supra data est cum de Baptismo ageremus: propria enim potestas consecrandi, datur in Ordinatione, vt constat ex forma & materia sacramenti Ordinis: potestas autem baptizandi non proprie tunc datur, sed ius. Ratio vero est propter maiorem necessitatem sacramenti Baptismi, & à priori, est institutio Christi, quam traditio manifestauit.

Dico secundo: Vt verba forma huius operetur, necesse est vt proferatur à ministro cum debita intentione faciendi sacramentum, seu, quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit. Hac conclusio est de fide: & probanda est ex fundamentis adductis in materia de sacramentis in genere: multa vero, quae ad illam explicandam hic tractari possent, petenda sunt, vel ex disputatione de materia remota, vbi declarauimus quomodo minister dirigere debeat intentionem ad certam & definitam materiam, vel ex disputatione de forma, vbi exposuimus, quomodo intendere debeat proferre verba formaliter & non materialiter tantum. Solum est hoc loco addendum ex Gabr. lectio. 52. in Can. circa finem, quoddam asseruisse, si quis sacerdos ignoret verum sensum horum verborum, eum ex intentionis defectu nō vere consecrare: quia ille accommodat suā intentionem sensui verborum, quem putat esse verum. vnde, si in sensu formae errat, consequenter deficiet in vera & necessaria intentione, quam opinionem ipse tribuit Alexandro Ales. Sed tamen Alesius 4. part. quaestione 33. memb. 4. articul. 2. solum dicit, ex negligentia Sacerdotis posse interdum frustrari effectum verborum, & huiusmodi negligentiam esse peccatum mortale, non vero explicat, qualis sit haec negligentia. Quocirca dicendum est, vt etiam Gabriel dicit ignorantiam Sacerdotis, imo quamcunq̄ intentionem erroneam priuatam ac particularem, non impedire effectum verborum, dummodo integre proferantur, & ex generali intentione faciendi, quod Christus instituit, quia haec intentio corrigit quamcunq̄ aliam particularem, quae solum materialiter se habet, altera vero est quali formalis, vt latius dictum est de sacramentis in genere.

Vltimo addendum est, vt haec verba sint efficacia nō esse necessarium, vt proferantur ab homine laico, & aut fideli: sed satis esse, quod characterē sacerdotalem habeat, reliquae enim conditiones accidentariae sunt, & characterem sacerdotalem non desunt enim indelebiles, ex Tridentin. sessio. 7. & sessio. 23. capitul. 4. character autem manens est sufficientis potestas. Ita docet D. Tho. infra quaestione 82. art. 5. & 8. Et est conclusio de fide exiis, quae tractata sunt supra, in simili quaestione de sacramentis in genere.

Occurrit tamen hic specialis difficultas sibi omnia, fa, ex nonnullis decretis ac testimoniis Pontificum & San-

& Sanctorum, qui de hæreticis & schismaticis specialiter docere videntur, eos non posse conficere consecrationem. Vnde Innocent. Epistola. 18. & 22. Solum baptisma (inquit) illis ratum esse permittimus, Gregor. libr. 4. Epistol. 5. capitul. 49. & habetur in ca. Accedens, 5. dicitur. idem indicat specialiter de degradatis, vt ibi Glossa affirmat, & 1. quaestione 1. in multis decretis consecrationis hæreticorum, & schismaticorum irrita dicitur, vt ibidem significat Gratianus post capit. Manus, ca. Dicitum est, & cap. Quod quidam. Fauet etiam August. 2. contr. Cresc. Gram. c. 13. vbi ait, Extra Ecclesiam nõ esse verum sacrificium nec verum Sacerdotium. Hiero. Aggæi 2. & Osee. 7. vbi dicit, panem hæreticorum esse pollutum, & Sop. 3. Sacerdotes, qui Eucharistia seruiunt & sanguinẽ populis eius diuidunt, impie agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, nõ vitam: & necessariam esse tẽm solemnem orationẽ & non sacerdotum merita. Propter quã Magister. in 4. dist. 13. dicit hæreticos vel schismaticos, qui extra Ecclesiam existunt, etiam si sint rite ordinati, & debita intentione verba proferant, nõ conficere. Sed est erronea sententia, quã merito reiecerunt ceteri omnes Theologi ibi. Est enim contra manifesta principia fidei. Ex quibus constat, verum Sacerdotem propter hæresim, vel aliquam pœnam, aut censuram Ecclesiã neque amittere characterem, neque esse incapacem illius, vt constat ex Trid. sess. 7. Cano. 9. Propter quod Sacerdotes, qui ab hæresi ad Ecclesiam redeunt, non iterum ordinantur, vt constat ex VII. Synodo act. 1. & habetur in c. Conuenientib. 1. q. & ex Urbano Papa, in c. Ordinationes, 9. quaest. 1. & constat ex vsu, & consuetudine Ecclesiã, vt late tractat Hieronym. dialog. contra Lucif. & Aug. li. 2. contra Par. capit. 13. Sed per characterem sacerdotalem datur potestas ad conficiendum corpus Christi: ergo si is, qui habet huiusmodi characterẽ, rite proferat verba essentialia super debitam materiam, infallibiliter conficiet sacramentum; quia, vt recte dixit Nicol. Papa, ad Consulta Bulg. ca. 17. Non potest aliquis, quantumcunque pollutus sit, sacramenta diuina polluere. Cap. Sciscit. 15. quaestione 8. capit. Christus. capitul. Non nocet. cum multis aliis 1. quaestione 1. Cum ergo canones interdum dicunt, ordinationes hæreticorum esse irritas, intelligendi sunt, vel quoad debitum vsu, quia Ecclesia eos suspendit, & prohibet, ne ad sacerdotalia munera admittantur: quamquam eorum actus, qui iurisdictionẽ non requirunt, irritare non possit, qui sensus plane colligitur ex Urbano Papa in dicto capi. Ordinationes, & ex Innocent. Epistola. 22. & ex Concilio Niceno 1. can. 1. can. 8. vbi Episcopi, qui reuertuntur à Nouati hæresi, in sua dignitate admittuntur, & idem dicunt prædicti Pontifices, fieri posse in aliis, si, vel bona fide ordinati sint, vel ratio sufficiens, aut necessitas id requirat: vel interdum possunt hi Canones exponi de ordinationibus, quæ non sunt debito ac essentiali ritu: nõ consecrationes factæ à ministris sic ordinatis, omnino irritæ sunt, & huiusmodi sunt ordinationes, quæ nunc sunt à ministris Lutheranorum, & Calvinistarum. Quid vero dicendum sit de ministro huius sacramenti, vt sacrificium est, dicitur infra in proprio loco.

SECTIO IV.

Virum plures forma possunt efficere consecrationem eiusdem materiae simul, aut successiue.

Hæc quaestio tractatur de ministro à D. Thoma infra, quaestio. 82. articulo. 3. eius vero difficultas præcipue consistit in efficacia, ac veritate verborum, & communis fere est ceteris sacramentis, & ita disputata est superius, cum de Baptismo ageremus: hoc vero loco tractatur à Theologis occasione cuiusdam consuetudinis Ecclesiã, quæ in Romana, Franc. Suarez Tom. 3.

& in multis aliis obseruatur, olim enim Cardinales simul cum Papa conceleberrare solebant, & consecrare eandem hostiam, & tunc idem faciunt Sacerdotes nouiter Ordinati cum Episcopo Ordinate, nam omnes simul verba consecrationis proferunt super eandem materia. Dupliciter ergo tractari potest hæc quaestio: primo de possibili, scilicet, quid in hoc modo consecrationis fieri possit. Secundo de facto, scilicet, quid in prædicta consuetudine fiat.

Prior pars defini breuiter potest ex dictis supra de Baptismo. Primo enim certum est, non posse plures ministros concurrere ad consecrandum hoc sacramentum, vt causas partiales ex parte formæ: ita vt vnus proferat partem formæ, alius aliam partem: quia tunc neuter eorum proferret formam, neque ex verbis diuersorum hominum vna forma componi potest, vt prædicto loco latius probatum est. Dico autem, ex parte formæ, quia ex parte materiae fieri potest, vt vnus consecret partem vnus hostiæ, alius vero reliquam partem, si vterque certam ac definitam partem sua intentione designet, vt supra diximus, agentes de materia, tunc vero illi non sunt proprie causæ partiales, quia vnusquisque suam consecrationem, vt integra causa, perficit, sed ex parte materiae accidentarium est, quod species consecratæ sint continuæ inter se, & ideo ex hac parte quælibet earum consecrationum videtur esse partialis respectu eiusdem hostiæ.

Dico secundo: Etiam si duo sacerdotes integre proferant formam, & vnusquisque habeat intentionem consecrandi, si tamen alter eorum prius tempore absoluat formam, quam alius, non possunt illæ duæ formæ efficere consecrationem eiusdem materiae, sed altera tantum. Ita sentiunt Durand. Caiet. Richard. Soto, Ledesma, & alii, infra citandi. Quorum sententia mihi verissima videtur, quamuis nonnulli ex antiquioribus contradicere videantur. Ratio est, quia integra forma consecrandi cadens super debitam materiam, cum primum perficitur, constituit, seu conficit sacramentum, ergo forma postea superueniens nihil potest efficere. Patet consequentia, tum quia iam inuenit factum, tum etiam, quia iam non cadit super debitam materiam: quia materia consecrationis non est res prius consecrata, sed panis vel vinum. Antecedens vero declaratur, quia quando sacerdotes hoc modo proferunt formas, vel vterque eorum habet intentionem absolutam consecrandi independentem ab alio, & tunc sine vlla dubitatione, qui primo absoluit, consecrat, quia ibi concurrunt omnia necessaria ad conficiendum sacramentum, vel vterque habet intentionem non conficiendi sine alio. Et hoc variis modis potest contingere, primo, vt vterque velit partialiter concurrere, & nullo modo esse causam integram consecrationis, & hæc intentio fortasse in vniuersum est contra substantiam sacramenti, quia Christus hoc non instituit, sed vnusquisque sacerdotis verba voluit esse causam integram & sufficientem, sicut in simili de Baptismo diximus, aut saltem est contra substantiam sacramenti, hoc intendere: quando formæ non in eodem instante, absoluntur, sed altera prius tempore, quam altera: quia præter institutionem Christi, & contra veritatem huius formæ est, vt non efficiat, cum primum eius significatio absoluitur, quia illius veritas cum illius efficacia coniuncta est, & ab illa quodammodo pender. Et eadem ratio est contra Christi institutionem, vt vna forma non faciat sine concursu alterius, quæ præcessit: igitur ministri, qui hoc modo intenderent conficere, nihil efficerent. Alio modo posset vnus sacerdos intendere non consecrare sine alio, intentione quasi conditionata, ita vt vnusquisque intendat conficere, si alius iam absoluit verba & non alias: & tunc is, qui primo absoluit, non conficit, quia tantum habet conditionatam intentionem, & conditio impleta non fuit, quan-

Non possunt concurrere plures ministri ad consecrandum, si vnusquisque partem solam formæ proferat.

Non possunt plures sacerdotes huiusmodi consecrare, si vnus prius alio modo absoluit verba forma.

do absoluta fuit forma: & ideo neq; tunc fecit sacramentum ex defectu intentionis: neque postea, quia iam forma euauit, vt latius dictum est in materia de sacramentis in genere, ille vero, qui posterior absoluit, conficit, quia, licet habuerit conditionatam intentionem, tamen conditio iam erat impleta, & ita conditio transit in absolutum: ergo, quicquid Sacerdotes intendant facere, non possunt plures formas, quæ successiue, & non in eodem instante consumuntur, eandem consecrationem efficere. Neque hic locum habet distinctio vulgaris de similitate metaphorica aut morali, quia verba in eodem Metaphysico, seu physico instante, in quo absoluntur, consecrationem perficiunt, neque eorum efficiencia suspendi potest per minimum vel breuissimum tempus quia hoc esset contra eorum veritatem, ergo nihil refert, quod alia verba censantur simul moraliter absolui, si reuera intercedit vel breuissimum tempus inter vltimum instans vnus & alterius formæ; quia iam inueniunt factum, quicquid facere poterant, & cadunt in materiam iam consecratam. Confirmatur tam conclusio, quam totus hic discursus: quia, si duæ formæ, quarum vna prius absoluitur, quam alia, possent eiusdem materiam consecrationem efficere: etiam vnus minister posset duabus formis repetitis successiue eiusdem materiam consecrationem efficere, proferendo proxime & immediate vnâ post aliam & per intentionem suspendendo efficiencia prioris, donec posterior absoluitur: consequens aut absurdissimum, & contra omnium communem consensum: Sequela autem à paritate rationis facillime probari potest.

Si plures formæ simul absoluantur, omnes efficiunt sacramentum.

Dubium.

Solutio.

Dico tertio: Si duæ formæ simul & in eodem instante, absoluantur, vtraque efficit consecrationem, etiam si in eandem materiam cadant. Hæc est communis sententia; probatur, quia supponimus, vtramque proferri à debito ministro supra debitam materiam, & debita intentione: ergo vel vtraque efficit vel neutra: quia non est maior ratio de vna, quam de alia, et non est dicendum neutram efficere, quia ibi concurrunt omnia necessaria ad sacramentum, & nihil est contra substantiam eius, ergo vtraque efficit. Quæres, an singulæ efficiant, vt causæ totales, vel partiales; id est, an efficiant vna sola actione dependente ab vtraque vel duabus, quarum vnaquæque integra sit, & à sua forma pendeat. Respondetur, vtrumque modum esse possibilem, & incertum esse, quomodo fiat. Videtur autem magis consentaneum institutioni & veritati verborum, vt vnaquæque forma sua integra actione efficiat, ac si alia non concurreret: quâuis alias videatur rerum naturis magis consentaneum, vt causæ, quæ per se singulæ efficerent, si simul applicentur ad vnum & eundem indiuisibilem effectum non agant duabus veluti superfluis actionibus, sed vna.

Difficultas vtrum sit bonæ consuetudine consecranda plures in eadem materia quam in Ecclesia Romana in sacramento ordinatione seruatur. Quidam negant.

Gabr. Durand. Albert. Angel. Soto. Rayn.

Ex his definienda est altera pars quæstionis, quid de facto fiat in prædicta Ecclesiæ consuetudine. Et ratio difficultatis est, quia, humano modo loquendo non possunt omnes illæ formæ in eodem instante physico absolui, ex quo videtur sequi, illam consuetudinem esse contra rectam rationem, quia exposita est multis periculis. Primo, vt Episcopus, qui est principaliter sacrificans, nihil coniciat. Secundo, vt à multis proferantur verba super materiam consecratam. Tertio, vt multi inaniter ac frustra verba, proferant, nihil efficiendo. Propter hæc quidam non videntur banc consuetudinem improbare: quia, licet Romana Ecclesia, vt particularis quædam Ecclesia, illam seruet, tamen non obseruatur in vniuersa Ecclesia, vt de Moguntina Gabr. refert. Ita vere sentit Durand. distinct. 13. quæst. 3. & in eadem sententia citatur Albertus in Sum. Pisan. verbo. Euchar. 3. & in eandem inclinatur Gabr. lect. 6. in Can. Angel. Eucharist. 2. §. 3. nec multum repugnant Soto distinct. 3. art.

3. & Palacius, quæstio. 4. sed nullo modo sentiendum est, illam consuetudinem esse malam, simpliciter loquendo: id enim valde esset temerarium: tum, propter Ecclesiæ Romanæ auctoritatem à multis Pontificibus approbatam, tum, quia quam plures alia Ecclesiæ eandem consuetudinem obseruant.

Alij ergo Theologi, vt hanc consuetudinem defendant, dicunt, omnes Sacerdotes, qui cum Episcopo proferunt verba, debere illa proferre cum intentione consecrandi, ita tamen, vt referant intentionem suam ad illud instans, in quo Episcopus absoluit verba consecrationis, in quo omnes consecrant, siue prius, siue posterior verba absoluant. Hæc fuit sententia Innocentij, libro 4. de hoc myster. capitulo 25. quem Diuus Thomas hic sequi videtur, quæstio. 82. art. 2. Alen. quæstione 36. membr. 3. Paludan. distinct. 3. quæstione 4. Soto, Ledelma, & alij Thomistæ. Victor. in Sum. numero 88. Syluest. Eucharist. 2. quæst. 13. & alij fere Summittæ. Sed hæc sententia non videtur posse consistere cum his, quæ supra diximus. Quia dupliciter potest explicari intentio horum Sacerdotum, primo, vt sit absoluta, vt illam explicant Palud. & alij, & hoc modo est impossibile, quia si Sacerdotes habent intentionem consecrandi, & prius absolunt verba, quam Episcopus, non possunt eorum efficiencia suspendere, vt ostensum est, neque hoc est in potestate totius Ecclesiæ. Sicut si quis vellet suspendere actionem verborum consecrationis formæ panis, donec proferat formam sanguinis, non potest: vel, si duo conuenirent ad consecrandas duas hostias singuli singulas, ita tamen, vt neuter coniceret, donec alius absolueret: nihilominus heret consecratio absolutis verbis, & in omni sacramento, & abioluta materia, & forma, non potest vniuersa Ecclesia retardare effectum eius, sicut nec potest impedire illum, si ex parte subiecti & materiam non est impedimentum. Respondet Paludanus supra, in hoc respectu casu, de dispensatione heri, vt virtus præcedentium verborum conferretur in aere, donec omnes formæ absoluantur, & tunc omnium virtus simul operetur. Sed hæc, vt recte dixit Durand. ridicula sunt, & sine fundamento coniecta, eo vel maxime, quod virtus verborum non est res aliqua, præter verba, & quamuis esset aliqua qualitas, illa non posset sine nouo miraculo conseruari transcurrentibus verbis: aut de subiecto in subiectum migrare. Deinde, si hoc modo heret, non oporteret diligentiam adhibere, vt omnes cum Episcopo proferrent, vel saltem curandum potius esset, vt omnes ante Episcopum absoluerent verba, quando quidem dicuntur non esse operatiua priuquam Episcopus absoluat, verba autem Episcopi expectatura non sunt reliquos. At vero vsus Ecclesiæ non ita habet, sed adhibet potius diligentiam, vt, vel omnes simul absoluant, vel saltem nullus ante Episcopum. Alio modo explicari potest hæc intentio, vt sit conditionata, vt verbi gratia, quod Sacerdotes consecrantes cum Episcopo, intendant consecrare sub hac conditione, si Episcopus iam absoluit verba, & ita videtur explicare hanc sententiam Victor. numero 88. Sed hinc necessario sequitur iuxta dicta, vt nec illi consecrent, qui prius tempore, neque illi, qui posteriori, quam Episcopus, verba absolunt, sed ad summum illi, qui in eodem physico instante cum illo verba perficiunt, quod paucissimis continget, & ita non euitantur omnia supra dicta incommoda: nam intentio coniciendi sacramentum sub conditione, quæ moraliter fere semper impedit efficiencia formæ sacramentalis, vitiosa est, & præter rationem, quin potius vt intentione conditionata & non absoluta, sine necessitate vrgente, etiam & merito videtur esse contra debitum modum coniciendi sacramentum.

Sed dicunt aliqui, in eo casu omnes Sacerdotes

SECTIO V.

An hac virtus actiua principalis sit in verbis, quam in ministro.

Hoc dubium moueo propter nonnullos ex antiquis Theologis, qui illud tractant & definiunt, hanc virtutem esse in verbis & in ministro, simpliciter tamen principalis esse in ministro, tum quia est similior principali agenti, tum etiam, quia eius virtus est permanens, & ad plures effectus extenditur: secundum quid vero principalis esse in verbis, quia propinquius attingunt effectum. Ita Alexand. quaestione 34. membr. 2. quem sequitur D. Thom. distinct. 8. q. 2. art. 3. ad 9. Richard. art. 3. quaest. 3. Ne tamen fortasse sit quaestio de nomine, oportet nonnulla supponere, quae ad rem pertinent. Primum est, virtutem verborum non esse qualitatem illis superadditam. Secundum est, characterem sacerdotis, qui videtur esse virtus ministro, sicut sit qualitas physica illi inherens, non tamen habere proprium & immediatum influxum physicum, vel in verba, cum in illis nihil fiat, vel in effectum verborum, seu consecrationem, cum haec immediate sit tantum ab ipsis verbis, vt etiam praedicti auctores docent, & D. Th. hic q. 78. art. 1. qui etiam docet, sacerdotem non habere aliam immediatam actionem in consecratione, nisi prolatione verborum, neq; per aliam actionem aut influxum influere in consecrationem nisi per verba, & eorū actionem. Quod praeterea confirmari potest testimonio Sanctorum Patrum dicentium: Sacerdotes proprio ore consecrere hoc sacramentum per verba Christi. Ac denique, quia omnis alius influxus superuacaneus est, & sine fundamento confectus, vt latius generatim dixi in materia de characterē, vbi propter hanc causam docui, characterem non esse potentiam physicam, cum non habeat influxum physicum immediatum, vt ostensum est: neque remotum aut mediatum: quia hic supponit semper aliquem immediatum, in quo fundetur. Quomodo enim potest intelligi, efficaciam alicuius potentiae, mediate redundare in aliquid, nisi immediate quippiam aliud attingat: at probatum est, characterem non habere influxum seu actionem immediatam, eum illam non habeat: neq; in verba, neq; in effectum verborum, & nihil aliud sit, in quod possit immediate agere: ergo neq; mediate aliquid physice agit: ergo non est potentia physica, sed moralis, seu potius signum, seu quasi sigillum pacti diuini, quo statuit, & promittit, semper concurrere cum verbis Sacerdotis ad effectum consecrationis.

Quoniam dicitur in principio.

D. Thom. Alens Richard.

Virtus consecratiua radicalis, sicut formalis est in ministro, in verbis.

His ergo de re ipsa suppositis, necessario dicendum videtur in praesente questione, virtutem instrumentalem ac physicam, qua fit consecratio, intrinsece ac realiter esse tantum in verbis, vel potius esse ipsa verba, vt dictum est: & ita cessat comparatio, quae supponit, hanc virtutem in vtroq; comparationis extremo: nos autem dicimus esse in altero: at vero secundum quandam rationem seu denominationem potest dici hac virtus principalis esse in ministro, radicaliter, & quasi potestatiue: tum, quia ipse est, qui operatur per verba: tum, quia ab intentione eius pendet virtus verborum, & ita illi data est potestas consecrandi, & vtendi illo instrumento, cum voluerit: tum etiam, quia illi debitus est concursus ad sic operandum: verbis autem non nisi quatenus sunt ab illo, & ab eius intentione procedunt: neq; hac in re inuenio difficultatem aliquam, quae explicatione indigeat, iuxta haec exponenda sunt, Diuus Thom. docet infra, quaest. 82.

art. 1. ad 1.

)(:

eum Episcopo quasi componere vnum integrum ministrum, & ideo eum primo consecrari, qui primo absoluit verba, quicunq; ille sit, omnes tamen dici referre intentionem suam ad vnum instans, quia omnes intendunt simul absoluerē verba, quocirca si aliquando accidit, quod vnus prius absoluat, quam alius, est praeter intentionem, & ita moraliter loquendo, est per accidens, & quicquid inde sequitur, vt, verbi gratia, quod vnus consecret corpus solum, alius solum sanguinem, & alius, scilicet Episcopus, sumat vtramq; speciem, qui fortasse neutram coeuit. Haec, inquam, & similia, non reputantur incommoda, tum quia sunt per accidens, tum etiam, quia omnes concurrunt per modum vnus ministri integri, qui simpliciter facit totum, quamuis per diuersa verba & ora veluti personalia. Sed hic dicendi modus mihi displicet, quia reuera est inconueniens, vt Episcopus, qui est principalis offerens, & sacrificans, non consecrat, & reliqua omnia, quae consequuntur, reuera sunt magna incommoda: neq; possunt dici moraliter per accidens, & praeter intentionem, cum voluntarie adhibeatur intentio, quae mortaliter impleri non potest. Praeterea illa collectio ministrorum, seu potius ille minister collectus ex multis personis, est praeter institutionem Christi, & praeter veritatem verborum, quae ab vnaquaque persona integre proferuntur.

Aliorum ergo sententia est, solum Episcopum proferre verba formaliter, & cum intentione consecrandi, alios vero materialiter illa referre in signum potestatis sibi concessae, & in memoriam illius coenae, in qua Christus cum Apostolis coenauit, eisque eandem potestatem concessit. Ita sentit Richard. dist. 13. art. 2. q. 1. Caietan. qu. 82. art. 2. Angel. verb. Eucharist. 2. §. 3. & ex antiquo Pontificali Romano referunt verba quibus hoc indicatur, scilicet: Ordinari dicant, ac celebrent. Ratio est, quia hoc modo tolluntur omnia incommoda, & sufficit ad intentionem & consuetudinem Ecclesiae. Et confirmatur: quia illi non communicant sub vtraq; specie: ergo non communicant, vt sacrificantes: ergo non sacrificant, & consequenter non consecrunt. Sed obstat, quia in Pontificali Romano admoetur Episcopus, vt alte & paulatim dicat verba, vt alij possint simul cum illo dicere, & omnes adhibent diligentiam, vt, quoad fieri possit, simul absoluant: ergo ex modo ipsius consuetudinis videtur colligi, omnes proferre verba ad consecrandum. Praeterea, in consecratione Episcopi, plures Episcopi simul proferunt verba, & Caietan. fatetur, omnes proferre formaliter, & ad consecrandum, cum tamen ex Pontificali Romano non possit hoc magis colligi de his Episcopis, quam de illis sacerdotibus, & incommoda fere sunt eadem, si recte ponderentur. Et idem argumentum est de consuetudine, quam Innocentius supra refert, visitatum fuisse aliquando in Ecclesia Romana, vt interdum Cardinales simul cum Pontifice consecrarent. Ad haec vero dici potest in hac opinione, adhiberi in hac caeremonia huiusmodi modum & diligentiam, quia non satis consistat in particulari, qua intentione debeant proferri verba, & ideo securiorem partem eligunt, quoad fieri possit.

Quocirca in hac re, quae valde lubrica est, mihi placeat consilium Caietani, vt scilicet, hi sacerdotes intendant proferre verba meliori modo, quo possunt: huiusmodi autem existimo, imprimis, vt nullo modo praesument praeuenire Episcopum in consecrandum, quia reuera hoc est magnum incommotum, & contra intentionem Ecclesiae, vt rationes factae probant, deinde habeant intentionem conditionatam, vt Victoria aiebat, seu potius & disunctam, vel consecrandi simul cum Episcopo, si possunt: sin minus, tantum materialiter verba proferendi, & ita euitantur incommoda, omnia quae inferbantur.

)(:

Franc. Suarez Tom. 3.

De suscipiendis hoc sacramentum, & de varijs
modis sumendi illud.

Dispu. 24. de
Eucharistia.



Xplicatis causis huius sacramenti priusquam ad eius effectus accedamus, oportet de suscipiente, quod est, subiectum, in quo sacramentum hoc operatur, nulla dicamus: similiter dicemus de usu, non ut in præceptum cadit, sed prout per illum applicatur sacramentum ad operandum: quamquam enim singulare sit in hoc sacramento, quod usus eius ab illius substantia distinguitur, tamē, ut supra disp. 42. dixi, habet se huiusmodi usus tantquam applicatio agentis ad passum: quia ergo hæc applicatio antecedit effectum, respectu cuius suscipiens est causa materialis, optime disputatio hæc in hunc locum cadit.

SECTIO I.

Quid sit, & quot modis fiat sumptio huius sacramenti.

Eucharistia
sumi potest
spiritualiter
vel sacramentaliter
Hilarius,
Raban.
August.

Trident.

Ioann. 6.
1. Cor. 11.

Spiritualis
sumptio sa-
cramenti hu-
ius est per
votum vel
desiderium
ortum ex
viva fide.
Alenf.

Hæc quæstio disputatur ad Thom. q. 80. artic. 1. & alius Theologis dist. 9. ubi omnes cum Hilario lib. 8. Trinit. Raban. de Corp. & sang. Domini, cap. 2. 6. & August. varijs locis, quæ referuntur de Consecrat. d. cap. Quid est, cap. Qui manducat, cap. Qui discordat: & alijs distinguunt duplicem usum huius sacramenti: in sacramentalem & spirituales. Quam partitionem hæretici huius temporis reiciunt: quia errant in fundamento de reali Christi presentia in hoc sacramento: & ita solam spirituales Christi manducationem per fidem agnoscunt. Illam tamen diuisionem probauit Concilium Trident. sess. 13. c. 8. sess. 22. & sacramentalis manducatio euidenter colligitur ex facta Christi institutione huius sacramenti, & ex verbis eius, Ioan. 6. vt in superioribus ostensum est: & ex Paulo, 1. ad Cor. 11. Vt tamen, hæc diuisio, eiusque membra explicentur, oportet prius singulis alijs modis subdiuidere.

Secundo ergo spiritualis sumptio diuidi potest in spirituales tantum, & in spirituales & sacramentales simul. Priori modo spiritualis sumptio propriissime sumpta est, quæ fit per votum seu desiderium huius sacramenti, vt ex Concilio Tridentino sess. 13. colligitur: & ex usu omnium Theologorum, & præter citatos recte tractat Alenf. q. 43. membr. 3. Quia, vt vere ac proprie dicatur spiritualis usus sacramenti, oportet, vt ad ipsam Eucharistiam formaliter terminetur: cum autem non terminatur per actum corporis, sed per actum animæ, nullus est actus, qui hanc denominationem possit suscipere, nisi desiderium, & propositum: quia in actibus humanis solum propositum, vel desiderium efficax censetur aliquo modo actui externo æquiuale, quando hic exerceri non potest. Est autem obseruandum ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 8. non omne desiderium, seu propositum huius sacramenti censeri spirituales sumptionem eius, sed solum illud, quod ex fide viva proficitur: quia hæc non tantum dicitur sumptio spiritualis, quia spirituali actu seu modo fit, sed præcipue, quia parit fructum spirituales maioris vnionis cum Christo: hunc vero fructum non habet, nisi ex charitate oriatur. Quocirca, si quis in peccato existens desideret Eucharistiam sumere, ita vt in subiecto illius desiderij coniungat usum sacramenti cum statu, quem tunc habet: id est, si desideret sumere in eo statu, non solum non spiritualiter manducabit, sed etiam grauer peccabit. Si vero non ita componat obiectum, sed desideret sumere in meliori statu: actus quidem non erit malus, tamen non perueniet ad rationem spiritualis sumptionis propter rationem dictam, nisi fortasse ap-

pelletur sumptio spiritualis mortua, & secundum quid. Denique sciendum est, hoc desiderium seu votum haberi posse vel explicite, vel implicite, sicut in baptismo, & in alijs sacramentis contingit: nam vtroque modo potest desiderium ad hoc sacramentum terminari, vel in se & in particulari, vel in alio, & in communi: vt desiderando seruare omnia mandata Christi, vel omnibus modis vniri Christo. Vnde obiter colligitur, hanc sumptionem spirituales solum habere locum in lege Euangelica proprie: quia, sicut in illa solum institutum est hoc sacramentum, ita & omnis eius usus. Itaque illa spiritualis manducatio antiquorum Patrum, quam late explicat August. tract. 2. 6. in Ioan. ex illo 1. Corinth. 10. 4. Omnes eandem escam spirituales manducauerunt: non est proprie spiritualis manducatio huius sacramenti: quia illi sane non desiderabant sumere hoc sacramentum: sed est figurata & materialis manducatio: nam quia illæ desiderabant CHRISTVM in illis sacramentis præfiguratum, illum spiritualiter manducasse dicuntur: & similiter omnis vnio cum Christo, vel desiderium CHRISTI, solet dici spiritualis sumptio huius sacramenti: large tamen ac materialiter: quia Christus res est huius sacramenti, vt supra disput. 2. late dictum est. Vnde tandem colligi potest multiplex diuisio spiritualis manducationis: sed illa est præcipue notanda ad tollendam æquiuocationem: quod alia est spiritualis manducatio Christi absolute: alia vero Christi in hoc sacramento, seu ipsius Eucharistia: quam supra indicauimus quæstion. 73. & optime eam tractat Palud. dist. 9. disput. 1. Prior enim fit per fidem & charitatem, & absolute terminatur ad Christum secundum se: & ideo omni tempore fuit necessaria: posterior vero terminatur proprie ad hoc sacramentum, & ad usum eius: estque proprie ad usum eius, vt dixi.

Sed quæri potest circa hanc sumptionem pure spirituales, an habeat fructum præter omne meritum operantis, hæretici enim nostri temporis dicunt, non esse minus fructuosam, quam si cum sacramentali coniuncta sit: vt refert Holius libr. 1. contra prolegomena Brentij. Qui error damnatur in Trident. sess. 13. cap. 8. & Can. 8. & a Diuo Thoma refellitur quæstio. 80. artic. 1. ad 3. Quæ censura intelligenda est fieri in eos, qui negant sumptionem sacramentalem aliquid addere merito operantis: nam hæc est aperta hæresis contra efficaciam sacramentorum. Aliter vero posset quis opinari, sacramentum esse adeo efficax, vt non solum re ipsa susceptum, sed etiam solo animo & desiderio applicatum, habeat sacramentalem efficaciam: & non est tam aperta hæresis: quia non deserunt Catholici, qui dicerent, hoc sacramentum hoc modo operari: saltem in extrema necessitate: vt quando egrotus non potest sacramentaliter sumere: præsertim quando petit adorat, ac venerat sacramentum: vt referunt Soto d. 12. q. 2. art. 1. Ledesin. q. 22. art. 4. Alij vero dixerunt, sacramentum operari quidem hoc modo gratiam aliquam maiorem, quam respondeat merito operantis, non tamen tantam, quantum conferret sacramentaliter sumptum, nec tam proprie ex opere operato: quia non per efficientiam physicam: & ita sentit Ledesin. Sed hæc omnia sunt falsa & improbabilia, & aperte contra Diuum Thomam supra, Alenf. qu. 41. membr. 3. artic. 3. & contra rationem quia promissio effectus sacramentalis non est facta desiderio, sed manducationi. Item, quia si quis prius desideret sacramentum, & postea re ipsa sumat, non minorem effectum sacramentalem recipiet in re, quam si antea non desiderasset, si cætera sint paria: signum est ergo, sacramentum nihil prius contulisse, ratione desiderij, alioqui idem sacramentum plures conferret effectus eiusdem rationis ex opere operato. Ex quo vltimius inferri potest: si quis post susceptum sacramentum

rum gaudet, & delectetur in consideratione sumptionis, inde etiam novum obtinere effectum ex opere operato, quia non est minus efficax sacramentum susceptum, quam suscipiendum, neque actus minus bonus gaudium, quam desiderium, de qua re plura diximus in simili quaestione agentes de baptismo. Quocirca, quado Trid. supra dicit: illos, qui voto coelestem panem edunt sine viua, que per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem sentire, non est intelligendum de fructu ex opere operato, sed merito operantis, quod dicitur fructus huius sacramenti, vel obiective, quia ex illius desiderio & amore percipitur, vel generali quadam ratione, quatenus omnis unio per gratiam dicitur effectus huius sacramenti quia est effectus Christi, qui in hoc sacramento continetur.

Tertio rursus dividitur sacramentalis sumptio, in sacramentalem tantum, & spiritualem & sacramentalem simul, & ita pericitur trimembris diviso, qua tradit Trid. dicto c. 8. & intelligitur bimembris, quia posuit D. Th. hic, art. 1. qui in hoc sensu locutus videtur. Ut vero explicetur divisio, oportet advertere, sumptionem sacramentalem omnino sumi interdum materialiter, pro quacunque sumptione sacramenti, etiam si fiat sine propria cognitione eius, ut quae fit a bruto animali, vel ab homine existimante hostiam non esse consecratam, & de hac manducatione in hoc loco non est sermo: quia, ut dixit D. Th. est veluti per accidens: unde impropiissime dicitur usus sacramenti, ut sacramentum est; interdum vero contingere potest, ut sacramentum hoc sumatur intentione & cognitione, tamen ab homine incapace effectus illius, ut quando sumitur ab homine non regenerato per baptismum, & haec etiam sumptio censetur materialis, quia per illam non applicatur sacramentum, ut sacramentum est, subiecto sibi proportionato. Sacramentalis ergo sumptio proprie ac formaliter dicitur, realis manducatio sacramenti Eucharistiae, cum aliqua intentione sumendi illud in subiecto capaci & proportionato. Nam sicut in aliis sacramentis, quae consistunt in usu, capacitas & intentio sumendi, sunt de necessitate sacramenti, ita hic sunt de necessitate sumptionis sacramentalis proprie dictae: & sicut in aliis sacramentis, in adultis requiritur propria intentio formalis, vel virtualis, explicita, vel implicita, in paruulis vero sufficit intentio Ecclesiae, ita etiam hic, ut inferius dicemus. Haec igitur sacramentalis sumptio, si fiat sine fructu spirituali, dicitur sacramentalis tantum, si vero fiat cum fructu, dicitur etiam spiritualis, siue ita determinetur ab effectu, siue ab situ, & dispositione, cum qua fit. Quocirca, sicut potest manere sacramentum sine effectu, vel debita dispositione, ita potest esse in praesenti sumptio sacramentalis tantum sine spirituali. Hic vero inquiri poterat de sumptione, qua Christus seipsum communicavit, an dicenda sit sacramentalis tantum, vel simul spiritualis, sed de hoc dicitur infra.

Ex quibus ultimo concluditur, sacramentum hoc perfectius applicari quam reliqua, quae in exteriori visu alicuius elementi consistunt: in aliis enim applicatio fit per solum externum contactum, hic vero fit per internam sumptionem, & vitalem actionem, & quodammodo per gustum, qui est sensus perfectior, quam tactus, & ita applicatio est proportionata sacramento, quod perfectius est, & per modum cibi sumitur, ut latius tractat Durand. d. 9. q. 1.

SECTIO II.

Vtrum soli homines possint hoc sacramentum manducare.

Hae quaestio per se est facilis, & fere in superioribus exposita, & ideo brevissime expediri potest. Primo ergo certum est, homines posse hoc sa-

cramentum manducare, nomine sacramenti non solum species intelligendo, de quibus experientia notum est, sed etiam corpus Christi, de quo dicitur: Nisi manducaeritis carnem filii hominis, &c. quia ad hoc est institutum hoc sacramentum, ut ab homine manducetur Christus Dominus, & per hoc sacramentum in nobis sit, & nos in ipso: ut huic excludatur error dicentium, discedere corpus Christi statim ac ori admoventur, qui bis in superioribus impugnatu est.

Secundo est certum, hoc sacramentum non posse sumi a creaturis homine superioribus, haec enim non sunt nisi Angeli: Angeli autem non habent corpora, ut corporaliter manducare possint. Dices, possibile est assumere corpora, & in eis manducare. Respondetur, etiam in assumptis corporibus non proprie manducare, quia motus ille, prout est in corpore, non est vitalis actio, illa ergo non esset proprie sumptio sacramenti, sed quaedam alia mutatio localis. Loquimur autem de sumptione sacramentali, nam spiritualiter interdum dicuntur Angeli manducare Christum, quatenus ei per charitatem uniantur: quamquam neque hoc modo possint spiritualiter sumere hoc sacramentum proprie loquendo, quia, cum non sint capaces sacramenti, non possunt habere votum, aut desiderium eius.

Creatura homine superioris non possunt Eucharistiam manducare.

Tertio est certum, inferiores creaturas homine, vel omnino non posse, vel saltem non proprie & sacramentaliter posse sumere hoc sacramentum. Patet, quia, quae non viuunt, nullo modo possunt sumere, cum non possint comedere, & hinc fit, corpus hominis mortuum, iam non esse capax huius sacramenti: quae autem viuunt, & comedere possunt, licet materialiter valeant species sacramentales, & consequenter corpus Christi, manducare, ut in superiore disput. 55. traditum est: non tamen formaliter, seu sacramentaliter, ut ex praecedente sectione constat. Quocirca sententia quorundam Catholicorum, qui absolute negant bruta manducare corpus Christi, ut V. Valde. to. 2. ca. 60. & aliorum vel omnino reiicienda est, vel pie explicanda. Nam certum est, species sacramentales posse a bruta manducari, & comedi, sicut alii panem, ut experientia constat, & in hoc fingere aliquod miraculum, est vanum, & sine fundamento. Deinde etiam est certum, corpus Christi non discedere, sed intrare, quo intrant species, quia, cum manducatio solum importet motum localem, proprie convenire potest, & denominare corpus Christi, iuxta principia supra posita, & hoc sensu erroneum esset negare, bruta manducare corpus Christi, saltem materialiter. Pie vero exponi possunt illi authores, quod hoc negant, solum quia illa sumptio formaliter & ex intentione sumentis, non est sacramentalis.

Creatura homine inferioris non possunt sacramentaliter sumere nequeunt Eucharistiam.

V. Valde.

SECTIO III.

Vtrum omnes homines adulti possint recipere hoc sacramentum.

Ex his hominibus, quidam sunt baptizati, alij non: quidam iusti, vel re ipsa, vel in existimatione & conscientia sua, cum dispositione aliqua ad iustitiam sufficiente, alij sunt peccatores, id est, qui in statu peccati permanent, nec satis disponuntur, ut ab illo mudentur etiam per sacramentum: ita enim nunc hac voce utemur. Rursus ex parte sumptionis distinguere possumus sacramentalem tantum ab ea, quae simul spiritualis est.

Dico primo, Homines peccatores accipere possunt Eucharistiam sacramentaliter, non vero spiritualiter. Haec posterior pars constat ex dictis de effectu: prior vero pars est de fide. Circa quam aliqui oium erraverunt, ut supra disput. 17. & 23. annotavi.

Eucharistiam potest sumi sacramentaliter a peccatore homine.



Valdens.
Cathol.
Orig.

mus & videre licet in V Valdensi tom. 2. capit. 60. Cas-
stro verb. Eucha. haereti. Cui errori videtur fauere
Orig. Math. 16. circa id: Non quod intrat per os, vbi
inquit: malos non accipere Verbum incarnatum, nisi
exponatur de sumptione spirituali, sicut exponenda
sunt alia Sanctorum testimonia, quae statim indica-
bimus. Sed conclusio posita est de de, vt constat ex 1.
ad Cor. 11. Qui aut manducat & bibit indigne, iudici-
um sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus
Dñi. Ridicula n. est interpretatio haereticorum dic-
tium: manducare indigne, qui manducat externa si-
gna, & ineptum se praebet ad manducandum corpus.
Paulus n. expresse dicit, manducare indigne totum sa-
cramentum, non diiudicando illud, nec se disponendo
iuxta dignitatem eius, & ita exponunt Chrysofom.
Ambrosi. Ansel. D. Thom. deniq; omnes Graeci & La-
tini. Praeterea Chrysofom. Homil. 83. in Math. 45. in
Ioan. Origenes Homili. 2. in Psalm. 37. Hierony. Ma-
lach. 1. & alii Sancti, qui hanc veritatem docent, hoc
eodem testimonio nituntur. Augusti. libro. 1. contra
Crescon. capi. 25. in fi. libr. 2. cont. literas Petil. c. 47. &
epi. 120. ca. 27. & li. 5. de bapt. c. 8. Corpus (inquit) Do-
mini, & sanguis Domini erat illis, quibus dicebat Ap-
ostolus, manducat & bibit indigne, &c. Et hinc Cy-
ser. de Coena Dñi, inquit: In sceleratum os panis san-
ctificans introiit: Hinc et Hier. lib. 2. con. Iouin. ver-
sus finem: Aequaliter, omnes corpus Christi accipim;
quamq; pro accipiendum meritis diuersum fiat, quod
vnum est. Hinc denique Ecclesia canit: Sumunt boni
sumunt mali, forte tamen in aequali, vita vel interit.
Ratio sumenda est ex illo principio supra posito, cor-
pus Christi manere sub speciebus, quamdiu species
panis manent: nam hinc manifeste sequitur, pecca-
tores, dum sumunt species, sumere corpus Christi. De-
inde caetera sacramenta rata sunt, etiam cum ab ini-
quis suscipiuntur, si nihil essentiale illi desit, ergo &
hoeratum permanet, etiam si ab iniquo sumatur:
quia propter hanc causam nihil essentiale illi deest.
Praeterea hoc sacramentum ratum est, etiam si ab in-
iquo Sacerdote fiat: ergo eadem ratione ratum du-
rabit, cum ab illo sumitur. Ad haec alias daretur oc-
cassio erroris supra impugnati, Eucharistiam vere
non confici, quando ab iniquo sumenda est, & ita pen-
deret consecratio a futuro euentu, & omnia essent
ambigua, & incerta, nec posset aliquis certius crede-
re, se accipere Christum, quam se esse iustum. Certum
ergo est, omnes quantumuis peccatores, reuera acci-
pere corpus Domini sacramentaliter: quod tam de
baptizatis, quam de non baptizatis verum est aliquo
modo, propter principium supra possum, quamquam
sit aliquod discrimen in formalitate sumptionis, vt
sic dicam, & in aptitudine seu capacitate, respectu
sumptionis, spiritualis, iuxta dicta in 1. sectio. & quae
statim subiiciam. Quo circa, si apud Augustinum, vel
alium Patrem interdum reperitur, peccatores non
sumere rem huius sacramenti, seu non vere illud su-
mere, intelligendi sunt & de re tantum sacramenti
quae est graria, & de spirituali sumptione seu fructuo-
sa, & quae animam reficiat, & ita intelligendus est Aug.
tract. 28. & 29. in Ioan. & ser. 2. de verbis Apost. & l. 22.
de Ciuit. Dei, c. 25. & saepe alias.

Aug.

Omnes ho-
mines adulti
baptizati
& iusti pos-
sunt sumere
Eucharistiam
& sacramen-
taliter & spi-
ritualiter per
se loquendo.

Dico secundo: Omnes homines adulti baptiza-
ti iusti, possunt recipere hoc sacramentum sacramen-
taliter & spiritualiter, loquimur per se, seclusis aliis
impedimentis corporis, & ita est conclusio certa, &
per se clara: quia, quod pertinet ad sumptionem sa-
cramentalem, a fortiori constat ex dictis de pecca-
toribus, & ex dictis supra de permanente duratione
Christi sub speciebus: quod vero pertinet ad spiri-
tuale sumptionem, constabit ex dicendis infra de
effectibus. Solum potest esse difficultas de amentis
seu phreneticis, sed haec facile expeditur ex dic-
tis, & dicendis sectione sequente. Nam, si sint amen-
tes perpetui non reputantur adulti, sed tamquam
infantes, si autem prius habuerunt rationis usum, de

illis iudicandum est iuxta illum statum, in quo inue-
ti sunt, quando iudicio rationis amiserunt. Vnde si
tunc erant iusti, habebant virtutem huius sacramen-
ti voluntatem, & ita sunt capaces illius. An vero ex-
pediat illis conferre, alia quaestio est, infra tractanda
cum D. Tho. q. 80. art. 9.

Vnica tantum superest dubitatio de hominibus Da-
iustis non baptizatis, vt sunt Catechumeni, an for-
maliter & proprie sint capaces sacramentalis & spi-
ritualis sumptionis huius sacramenti. Nam Mart. in
4. quaest. 6. artic. 2. dicit, in casu necessitatis Catechu-
menum suscipere hoc sacramentum, vnde sentit, tunc
eum recepturum propertissime sacramentaliter &
spiritualiter hoc sacramentum: alioquin non posset
sine graui peccato illud sumere. Et hinc sententia vi-
detur fauere Innocent. in cap. Veniens, de baptismo:
expresse enim dicit, Eucharistiam sumi posse a non
baptizatis.

Sed haec sententia singularis est, & aliena à princi-
piis receptis ab omnibus Theologis: baptizatus e-
nim est ianua sacramentorum, & Ecclesiae, & per
illum recipit homo characterem, qui est potentia ad
recipiendum sacramenta, & effectum eorum: qui ergo
non habet hunc characterem, non est capax alicuius
sacramentalis effectus, & consequenter neque sum-
ptionis proprie sacramentalis vel spiritualis. Quo-
circa, sicut, qui caret caractere Orcinis, quantum-
uis sit iustus non potest concipere hoc sacramentum:
quia ille character est veluti potentia actiua illius ef-
fectus, ita neque, qui caret baptizati caractere, est
capax huius sacramenti predicto modo: quia ille
character est quasi potentia passiua caeterorum sa-
cramentorum. Ac denique sicut homo non genitus
seu productus, non capax est cibi & nutrimenti, ita
neque homo non regeneratus per baptismum, est
capax huius sacramentalis cibi: quamquam ergo hi
Catechumeni, quatenus comedere possunt, possunt
etiam velut materialiter sumere hoc sacramentum,
non tamen proprie sacramentaliter, id est, cum or-
dine ad spirituale sumptionem. Innocentius autem
in d. cap. Veniens, non scripsit illa verba, docen-
do, sed disputando, vnde ex resolutione totius capi-
tis potius nostra sententia confirmatur: concludit
enim ante baptismum, sacramenta caetera non esse
valida. Deinde intelligi potest de sumptione mere
materiali ac fructuosa, sicut ibidem ait, ante bap-
tizatum esse homines capaces coniugii: quod est verum
materialiter in ratione contractus, non autem for-
maliter in ratione sacramenti.

SECTIO IV.

Vtrum infantes possint hoc sacramentum suscipere.

Mittamus in primis sumptionem pure corpora-
lem seu materiale, quia certum est, si possint
comedere, posse etiam hoc modo sumere: omissam
praeterea sumptionem pure spirituale, quae fit per
propositum seu desiderium, quia huius paruuli non
sunt capaces: vnde, licet dicatur interdum ab Aug. &
Diuo Thoma spiritualiter manducare hoc sacra-
mentum, late ac metaphorice intelligendum est, vel quia
per baptismum spiritualiter vnionem Christo, &
corpori eius, vel quia per habituale iustitiam, quae
in baptismo recipiunt, censentur appetere perfectam
vnionem cum CHRISTO, & habere ius ad hoc
sacramentum, & veluti voluntatem sumendi illud,
vt notarunt Caiet. q. 73. ar. 3. Palacios dist. 9. disp. 2.
Omittamus rursus paruulos non baptizatos, de qui-
bus eadem ratio est, quae de adultis: est igitur quaestio
de baptizatis infantibus, sub quibus perpetuo ame-
ntes comprehenduntur, & de sumptione proprie sa-
cramentali & spirituali simul, seu quae propter spiri-
tuale fiat.

Prima

1. Sententia. Prima sententia est, infantes non esse capaces huius sacramenti. Teneat Maior dist. 9. ad. 2. Petrus Soto lect. 8. de Eucharist. Cather. opus. de Commun. paruul. & Dominicus Soto, in hanc partem est propensus; vide illum: potest tribui Caietano quaest. sequente, qui ad effectum huius sacramenti requirit actualem deuotionem, cuius paruuli non sunt capaces. In hanc sententiam inclinatur Alenf. q. 49. mem. 5. Gabr. d. 9. q. 2. arti. 3. dub. 4. & Palud. q. 4. in fine. Sed hi solum dicunt non esse dandam Eucharistiam paruulis. Fundamentum praedictae sententiae est, quia hoc sacramentum est cibus spiritualis; ergo est accommodatum ijs solummodo, qui possunt actus spiritualis vitae exercere, quod paruuli non possunt. Et confirmatur ex illo 1. ad Corinth. 22. probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. ergo, qui se probare non potest, nec de illo pane edere potest. Confirmatur denique ex vsu Ecclesiae, quae non dat paruulis hoc sacramentum: datura autem esset, si existimaret illis futurum esse vitale.

2. Sententia. Secunda sententia est, infantes esse capaces huius sacramenti proprie ac spiritualiter. Teneat Soto d. 2. q. 2. artic. 9. Ledef. q. 31. artic. 9. dub. 5. Vic. num. 84. Cordub. lib. 1. q. 8. Alenf. lib. 2. de Euchar. ca. 37. insinuant Ruar. art. 15. Hostius in Confes. ca. 40. Fundamentum esse potest, quia sacramentum confert gratiam non ponentibus obicem: sed hi paruuli non ponunt obicem: & corporaliter vere manducant, vt suppono, vel, si sint tam paruuli, vt manducare non possint, saltem possunt bibere: ergo, si manducant, vel bibant, recipient effectum, & consequenter manducabunt proprie ac spiritualiter. Secundo ex vsu Ecclesiae, qui est interpres institutionis Christi: constat enim fuisse consuetudinem in multis Graecis, & Latinis Ecclesijs, vt Eucharistia daretur infantibus ante usum rationis: id approbantibus sanctissimis, pariter & doctissimis Episcopis, vt constat ex Dionysio cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. par. 2. & 3. nam hec Diuus Thomas quaest. 80. artic. 9. eum interpretetur loqui solum de adultis, tamen ibi Dionysius in communi loquitur de baptizatis, quibus dicit, solitam fuisse dari Eucharistiam statim post baptismum & sacram vnctionem, quod etiam refert Iulian. apol. 2. in fine. Cyprian. lib. 2. epist. 3. Ambros. libro de myst. cap. 8. Praeterea idem Dionysius cap. 7. par. 3. sub finem, nullam videtur expositionem admittit: et sic enim ait, Illud vero, quod pueri quoque, qui nodum possunt intelligere diuina, sacri baptismatis, altissimorumque communionis sacrosanctae signorum participes fiant, videtur quidem profanis irridendum. Et infra: Tradit autem puero sancta mytheria Pontifex: vt nutriatur in ipsis, neque vitam aliam habeat, nisi hanc, quae diuina inspicit semper, & quae huiusmodi sancta communione proficiat. Praeterea Cyp. Ji. de laps. narrat miraculum, quod accidit: puella, cui datum esset sacramentum, illud trahere non potuit: quia idolothyta prius manducauerat: & aperte supponit: illam non habuisse usum rationis, neque peccasse in illo facto. Cuius et videtur meminisse Aug. Ep. 23. ad Bonif. quietiam ep. 107. aperte dicit, infantes Eucharistiam manducasse: idem significat lib. 4. de Trinit. c. 10. & clare lib. de Ecclef. dogm. c. 62. Omitto alia testimonia, quae afferri possent ex libro contra Pelagian. quia illa possunt facile exponi de maducatione spirituali, seu metaphorica, quae fit per baptismum. Ad haec, optimus locus apud Clement. lib. 8. Const. 20. vbi dicit, pueros solitos esse communicare cum plebe: pueri enim proprie appellari videntur, qui nondum ratione vtuntur: & eadem consuetudo insinuat in Concilio Tolet. II. cap. 1. cum dicitur, eum, qui ob infirmitatem, necessitatem, mentis incapacitatem, vel infantiam, susceptam Eucharistiam cuomuerit punitendum non esse: supponit ergo, solere infantes sumere Eucharistiam, non potest ergo negari hanc consuetudo: quam

uis in tota Ecclesia suscepta non fuerit, nec fortasse fuerit admodum frequens & generalis, cum maior illius mentio apud veteres non reperitur. Illa vero consuetudo prudens fuit eo tempore, quod aperte colligitur ex Concilio Trid. sess. 2. cap. 4. dicente, eos Patres pro sui temporis ratione probabilem causam sui facti habuisse. Quamobrem admittendum non est, illos Patres non tam consuetudinem illam seruasse, quam tolerasse: quia non poterant plebi resistere: hoc enim, & repugnat Concilio, & in se innouit repugnantiam: quia haec ipsa tolerantia supponit consuetudinem. Reuocemus ergo rem ad primam originem, quando illa consuetudo introduci coepit: non est enim verisimile, quod ceperit introduci propter plebis perturbationem & seditionem: nulla enim huius rei mentio in veterum monumentis habetur: imo Dionys. dicit solos profanos irridere solitos illum morem. Adde non debuisse sanctos Patres, consuetudinem illam non solum permittere, sed etiam obseruare & exsequi, propter populi tumultum, si sancta & licita non esset: non esset autem honestum, dare sacramentum infantibus, nisi formaliter, & spiritualiter essent capaces illius, & fructus eius. Respondent aliqui, potuisse dari solum, vt propter Christi praesentiam & contactum, quodammodo sanctificarentur, & contra demonum insidias munirentur. Sed hoc non placet: tum quia sacramentum per se est dandum propter suum primarium effectum, & non alias: tum etiam, quia vel ille effectus erat ex opere operato, & sic, quae ratione vnus admittitur, potest admitti alius: vel solum propter imperationem: vel alio modo: & ad hoc non erat necessaria manducatio, sed sufficere poterat, vel oratio: vel ad summum, exterius contractus: vel praesentia in templo, vbi adest Christus: vel quid simile: tum denique, quia, si id esset verum, potuisset etiam dari Catechumenis, quod nunquam in Ecclesia factum esse legimus. Alij tandem dicunt, veteres Patres introduxisse illam consuetudinem: quia, vel existimabant, vel dubitabant, an sacramentalis maducatio Eucharistiae esset paruulis necessaria ad salutem, vt late tractat Claud. rep. 6. c. 7. Sed haec ratio primo supponit, illam consuetudinem de se non fuisse rationabilem, sed solum obignotantiam: quod non est consentaneum Concilio Trident. Deinde ex illamet existimatione sequitur, illos credidisse, hoc sacramentum esse fructuosum paruulis: cur enim arbitrarentur esse necessarium, quod non existimabant esse fructuosum? Non videtur ergo dubium, quin iudicauerint, Eucharistiam dare gratiam infantibus, & ideo illis eam dedisse: quod aperisere verbis docet Dionysius supra. Tertio est ratio a priori, quia in illis habet locum promissio Christi: Qui maducat me, viuet propter me, & in me manet, & ego in eo. Dices, paruulos non posse maducare spiritualiter, sed in primis haec verba Christi de corporali manducatione intelliguntur, & propter illa promittitur spiritualis: hoc autem modo pueri possunt spiritualiter manducare. Deinde spiritualis maducatio actualis, non est necessaria: habitualis autem etiam in pueris locum habet. Denique sacramentum Confirmationis dat suum effectum paruulo, cur ergo non etiam Eucharistia? quia infans non minus potest nutrirri, quam augeri: nec pro tempore magis indiget auxilio, vt nondum profiteatur, aut hostibus fidei resistat, quam deuotione & dulcedine Eucharistiae: neutrius enim est capax pro illo statu. Simile argumentum fieri potest de sacramento Ordinis, quod iuxta probabilem sententiam datum paruulis, ratum est.

Quocirca haec posterior sententia est sine dubio probabilior: habet enim maius auctoritatis pondus, & rationis. Vnde ad fundamentum alterius respondetur, hunc cibum nutrire conuertendo alitum in se: & ideo, vt suum effectum conferat, satis est, vt ab eo, qui

Trident.

Claudio.

Infantes capaces sunt Eucharistiae, non modo, proprie ac spiritualiter.

eo, qui uiuit spirituali uita, comedi possit. Paulus autem in citato loco de adultis loquitur, de infantibus autem satis est, quod Ecclesia illos probet, si post baptismum uelit illis Eucharistiam conferre.

Ob rationabiles causas Ecclesia nunc denegat parricidii Eucharistiam.

Quod uero Ecclesia hoc nunc non faciat, non est, quia paruuli sunt incapaces, sed quia hoc nunc magis expedit ad decentiam & reuerentiam sacramenti, quæ aliquali uirtuti paruulorum præferenda est. In principio enim Ecclesiæ, quando minor erat fidelium numerus, facilius poterant uitari incommoda, quibus illa consuetudo exposita est: postmodum uero, crescente numero fidelium, & præsertim, cum refrigerente charitate, minori cura ac diligentia sacramenta administrarentur, non potuerunt huiusmodi pericula alia ratione conueniente uitari: & ideo merito Ecclesia contrariam consuetudinem amplexa est: de qua re iterum redibit sermo, cum de præcepto communionis agemus.

QVÆSTIO LXXIX.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ, in octo articulos diuisa.



DEINDE considerandum est de effectibus huius sacramenti.

Et circa hoc queruntur octo.

- Primo, utrum hoc sacramentum conferat gratiam.
- Secundo, utrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriae.
- Tertio, utrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.
- Quarto, utrum per hoc sacramentum remittatur peccatum ueniale.
- Quinto, utrum per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur.
- Sexto, utrum hoc sacramentum homines præseruet à peccatis futuris.
- Septimo, utrum hoc sacramentum profit alijs, quam sumentibus.
- Octauo, de impedimento effectus huius sacramenti.

ARTICVLVS I.

Utrum per hoc sacramentum conferatur gratia.

Inf. ar. 4. c. 1. q. 2. ar. 8. q. 1. ad 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramentum non conferatur gratia. Hoc enim sacramentum est nutrimentum spirituale. Nutrimentum autem non datur, nisi uiuenti. Cum ergo uita spiritualis sit per gratiam, non competit hoc sacramentum, nisi habenti gratiam. Non ergo per hoc sacramentum conferatur gratia, ut primo habeatur: similiter etiam nec ad hoc, quod augetur, quia augmentum spirituale pertinet ad sacramentum confirmationis, ut dictum est.

Quæst. 72. a. 1. c. 7.

Non ergo per hoc sacramentum gratia conferatur. Præterea, hoc sacramentum conferatur, ut quaedam spiritualis refectio. Sed refectio spiritualis magis uidetur pertinere ad usum gratiæ, quam ad gratiæ collationem. Ergo uidetur, quod per hoc sacramentum gratia non conferatur.

q. 74. a. 2. c. 76. a. 2. ad 1.

Præterea, sicut supra dictum est, in hoc sacramento corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis autem pro salute anime. Sed corpus non est subiectum gratiæ, sed anima ut in secunda parte habitum est. Ergo ad minus, quantum ad corpus, per hoc sacramentum gratia non conferatur.

1. 2. q. 110. a. 4.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita. Sed uita spiritualis est per gratiam. Ergo per hoc sacramentum gratia conferatur.

Respondet dicendum, quod effectus huius sacramenti debet considerari primo quidem & principaliter ex eo, quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus, qui sicut in

mundum uisibiliter ueniens contulit mundo uitam gratiæ (secundum illud Ioan. 1. Gratiæ & ueritas per Iesum Christum facta est) ita in hominem sacramentaliter ueniens, uitam gratiæ operatur, secundum illud Ioan. 6. Qui manducant me, uiuent propter me. Vnde & Cyrillus dicit: Uisificationem Dei Verbum, ueniens seipsum proprie carni, secessit ipsam uisificationem: decebat enim cum nostris quodammodo uniri corporibus per sacramentum eius carnis & pretiosum sanguinem; quæ accepimus in benedictionem uisificationem in pane & uino. Secundo consideratur ex eo, quod per hoc sacramentum representatur: quod est passio Christi, sicut supra dictum est. Et ideo effectum quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine. Vnde super illud Ioan. 18. Continuo exiit sanguis & aqua, dicit Chrysostomus: Quia hinc suscipimus principium sacrae mysteria, cum accipimus ad tremendum calicem, ut ab ipsa bibiturus Christi comesta, ita accedas. Vnde & ipse Dominus dicit; Matth. 26. Hic est sanguis meus, qui pro uobis effundetur in remissionem peccatorum. Tertio consideratur effectus huius sacramenti ex modo, quo traditur hoc sacramentum: quod traditur per modum cibi & potus. Et ideo omnem effectum, quem cibis & potus materialis facit, quantum ad uitam corporalem (quod scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat) hoc totum facit hoc sacramentum, quantum ad uitam spirituales. Vnde Ambrosius dicit in libro de sacramentis: iste panis est uita æternæ, qui anima nostræ substantiam sicut. Et Chrysostomus dicit super Ioan. Præstat se nobis desiderantibus, & palpare, & comedere, & amplecti. Vnde & ipse Dominus dicit Ioan. 6. Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Quarto consideratur effectus huius sacramenti ex speciebus, in quibus traditur hoc sacramentum. Vnde Augustinus dicit: Dominus non ster corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis: namque aliud scilicet panis, ex multis granis in unum constat, aliud scilicet uinum, in unum ex multis acinis constituit. Et ideo ipse abbas dicit super Ioan. 6. Hoc sacramentum pietatis, & signum unitatis, & uinculum charitatis. Et quia Christus & eius passio, est causa gratiæ, & spiritualis refectio, & charitas sine gratia esse non potest, ex omnibus præmissis manifestum est, quod hoc sacramentum gratiam conferat.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum ex seipso uirtutem habet, gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti, vel nisi ex aliquo uoto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel uoto Ecclesiæ, sicut paruuli, sicut supra dictum est. Vnde ex effectiua uirtute ipsius, quod est, quod etiam ex uoto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter uiuificatur. Respondeo igitur, ut cum ipsum sacramentum realiter sumitur, gratia augetur, & uita spiritualis perficitur. Aliter tamen, quam per sacramentum confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnaciones inimicorum Christi. Per hoc autem sacramentum augetur gratia, & perficitur spiritualis uita, ad hoc, quod homo in seipso perfectus existat per communionem ad Deum.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum conferat gratiam spiritualiter cum uirtute charitatis. Vnde Damascenus comparat hoc sacramentum carboni, quem Isaac uidit, & Isaac 6. Carbo enim lignum simplex non est, sed uinum igni. Ita & panis communionis non simplex panis est, sed uinum unitatis. Sicut Gregorius dicit in Homil. Pentecost. Amor Dei non est otiosus, magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc sacramentum, quantum ex sui uirtute, non solum habitus gratiæ & uirtutis conferatur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud 2. Cor. 5. Charitas Christi irretet nos. Et inde est, quod ex uirtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur per hoc, quod anima spiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuine, secundum illud Cant. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimis.

Ad tertium dicendum, quod, quia sacramenta operantur salutem